DOM. IOAN. FRANC.

DE PONTE

IVRISCONSVLTI

PATRICIJ NEAPOLIT. REGIÆ CAMERÆ SVMMARIÆ PRÆSIDIS integerrimi, in Nobiliſſimo Neapolitano Gymnaſio Feudorum Interpretis acutiſſimi,

ET IN SVMMO ITALICO CONSILIO APVD Catholicum PHILIPPVM II. *Hiſpaniarum Neapoliſque Regem, Regentis meritiſſimi,*

CONSILIORVM,

SIVE IVRIS RESPONSORVM IN ARDVIS MAXIMORVM PRINCIPVM

Cauſis præſertim Feudalibus editorum

VOLVMEN SECVNDVM.

Cum INDICE, *Summariis ac Argumentis.*

EDITIO Nouiſſima à mendis innumeris quibus prior ſcatebat accuratiſſimè repurgata.

SALAMANCA

GENEVÆ,

Sumptibus Samuelis Chouët.

M. DC. LXVI.

DOM. IOAN. FRANC.

DE PONTE

IVRISCONSVLTI
PATRICIJ NEAPOLIT. REGIÆ CAMERÆ SVMMARIÆ PRÆSIDIS

integerrimi, in Nobiliſſimo Neapolitano Gymnaſio
Feudorum Interpretis acutiſſimi,

ET IN SVMMO ITALICO CONSILIO APVD Catholicum PHILIPPVM II. *Hiſpaniarum Neapoliſque Regem, Regentis meritiſſimi,*

DECISIONVM

SVPREMI ITALIÆ CONSILIJ

Regiæ Cancellariæ, & Cameræ Summariæ Regni Neapolitani,

LIBER VNICVS,

IN QVO ILLVSTRES CONTROVERSIÆ NON MINVS VSV frequentes, quàm arduæ, ac difficiles, quæ & Noſtris, & Externis maximum facere negotium viſæ ſunt frequentiùs, ſumma cum eruditione (habito priùs diligentiſſimo examine) iuxta veras, & germanas legum ſanctiones ita reſoluuntur, & dilucidantur, vt non ampliùs Iuriſperitos conturquant; ſed ſic penitus euerſæ concidant, vt omnis dubitandi anſa in poſterum præcluſa videatur.

Acceſſere eiuſdem D. Authoris REPETITIONES FEVDALES *elaboratiſſimæ pariter, ac doctiſſimæ, & vi plurimùm rerum iudicatarum authoritate obuallatæ.*

Cum gemino INDICE vtiliſſimo, luculenter contexto, diſtinctè, & ordinatè diſpoſito.

VOLVMEN TERTIVM.

GENEVÆ,
Sumptibus Samuelis Chouët.
M. DC. LXVI.

DECISIONES COLLATERALIS CONSILII REGNI NEAPOLITANI.

Authore

D. IOAN. FRANCISCO DE PONTE

eiuſdem Tribunalis Decano meritiſſimo.

SVMMARIVM.

1 *Inueſtitura Regni Neapolitani ex ſpeciali pacto peti debet à Summo Pontifice infra ſex menſes a die mortis Regis Prædeceſſoris.*

2 *Moræ purgatio admittitur, quando in pacto conuentionali eſt appoſita dies tantum abſque pœna, & quando ſtipulatoris non intereſt, nec ius eius eſt effectum deterius.*

3 *Moræ purgatio admittitur regulariter.*

4 *Regulam qui habet pro ſe dicitur habere intentionem fundatam.*

5 *Moram non poteſt purgare principalis obligatus, quando adeſt dies, & pœna, ſecus verò in herede, cui datur reſtitutio ex capite ignorantiæ.*

6 *Heres de iure communi feudorum debet denuntiare mortem infra annum & diem aliàs feudo priuatur, aduerſus quod datur reſtitutio ex capite ignorantiæ, quæ præſumitur, & conſequenter purgatio moræ, quod voluerunt Doctores, conſiderata illorum Vaſſallorum heredum ipſo iure.*

7 *Reſtitutio Vaſſallo conceditur aduerſus lapſum anni & diei ex capite ignorantiæ præſumptæ, etiam quòd ſit maior viginti quinque annis, quæ conceditur infra quadriennium à die ſcientiæ, niſi aliter de ſcientia inueſtiturarum fuerit conuictus.*

8 *Terminus anni, & diei ad petendam inueſtituram non poteſt abbreuiari abſque conſenſu Vaſſalli, qui ſe obligaſſet ſub pœna amiſſionis.*

9 *Inueſtituræ Regni recenſentur à tempore Regis Catholici.*

10 *Heres præſumitur ignorare conuentionem ſpecialem, & contra iuris communis formam factam à Prædeceſſore.*

11 *Caducitas feudi non inducitur ex ſola abbreuiatione temporis, niſi adſit pœna priuationis.*

12 *Tempus anni, & diei currit à die ſcientiæ, dummodò non præcedat craſſa, & ſupina ignorantia.*

13 *Moræ purgatio ſaltem de æquitate admittitur aduerſus lapſum anni, & diei, non obſtante quòd in dicto termino adſit pœna legalis, maximè in feudis Eccleſiaſticis, & re integra.*

14 *Anni, & diei lapſus non reſoluit contractum ipſo iure; ſed requirit ſententiam.*

15 *Moræ purgatio admittitur in termino conſtituto ab homine.*

16 *Ius Romanorum attenditur, quando caſus non eſt deciſus per iura feudorum.*

17 *Moræ purgatio admittitur de conſuetudine vniuerſali, quando non adeſt intereſſe partis, & non poteſt conſiderari contemptus aut perfidia.*

18 *Caducitas feudi ob non petitam inueſtituram in tempore ceſſat ex quauis iuſta cauſa.*

19 *Maior annorum quatuordecim, & minor annorum viginti quinque habet reſtitutionem aduerſus lapſum temporis præfixi ad inueſtituram petendam, quia ex ipſo dicitur læſus.*

20 *Expreſſum intelligitur omne id, quod Princeps conceſſiſſet verſimiliter ſi de eo fuiſſet interrogatus.*

21 *Argumentum de ſimilibus ad ſimilia procedit in feudis, & etiam in caſibus quando tamen militat eadem ratio.*

22 *Caducitas omnis cenſetur remiſſa ob receptionem Cenſus.*

ARGVMENTVM.

In puncto inueſtituræ Regni Neapolitani petitæ pro parte noſtri ſereniſſimi, & inuictiſſimi Regis à ſanctiſſimo Clemente Octauo ſummo Pontifice.

DECISIO I.

NVNQVAM hæſitatum fuit, inter cæteras pactiones in inueſtituris contentas, illam eſſe, vt petatur inueſtitura infra ſex menſes computandos à die mortis Regis prædefuncti, ſed & pariter nunquam dubitatum fuit, quod cum nulla ſit appoſita pœna, ſicut eſt in caſu, quo procuraretur actio ad imperium, vel ad dominium Lombardiæ, Tuſciæ, vel maioris partis ipſorum, vel deficeretur in ſolutione Cenſus, vt ex eiſdemmet inueſtituris facile eſt videre, dum talis inueſtitura petitur, etiam poſt lapſum ſex menſium, admittatur petitio, & ſi quæ parua mora poſſit conſiderari, quod ſiquidem detur illius purgatio, cum Pontificis non interſit, & ius illius non ſit effectum deterius; non enim ſumus in lapſu anni, & diei à lege feudorum alias feudatario præfixi cum pœna deuolutionis in caſu contrauentionis; ſed ſumus in termino conuentionali abſque appoſitione pœnæ: Imò ex appoſitione

REPETITIONES FEVDALES D. IOAN. FRANCISCI DE PONTE MARCHIONIS MVRCHONI,

Et hac noſtra, Patrumq; ætate Iuriſconſultorum conſultiſſimi in xxij. diſtinctæ Lectiones, olim ab eodem in Almo Neapolitano Gymnaſio habitas, dum illius Cathedram ſumma cum admiratione, & non minori laude regebat.

SVMMARIVM.

1 Feudorum cauſæ, materialis, formalis, efficiens, & finalis quæ ſint, recenſent.
2 Feudorum liber eſt authenticus ſecundum Andr.
3 Feudales conſuetudines vim obligationis vtrum adſtringant omnes Reges, & Imperatores; ſuper hoc notab. Andr. diſtinctio refertur.
4 Longobardorum leges ſunt in Lombardia cuſtodiendæ: quia illorum Reges eas ſanxere; ſed quæ de iure ſint ſeruandæ in hoc Regno, quod fuit patrimonium Eccleſiæ, ciuè à Ludouico Imperatore donatum, & ab Imperio exemptum.
5 Feudum, & vaſſallus ſunt termini ignoti legibus Roman. ſecundum Andr. diſtinguentem inter feudum, & militiam.
6 Feudalis contractus ſecundum eundem Andr. de per ſe ſubſiſtit, eſtq; pariter nominatus ex frequentioribus Doctorum placitis, & nu. 27. & 28.
7 Feudum vnde ſit vniuerſitas facti, vel iuris, Andr. & Canter. opiniones contrariæ aliter referuntur.
8 Vaſſallus quomodo ſit conſultum recuſante Domino feudum promiſſum tradere, quaue ratione è conuerſo Dominus teneatur aduerſus vaſſallum ſeruitium præſtare renuentem. In vtraq; difficultate pulchra Andr. doct. recenſetur.
9 Feudum iuſtarum definitur ab Ober. de Ort. in genere ſubiicet & in ſpecie, & vtraque diffinitio, ſeu deſcriptio ſubnectitur, & nu. 10. & 11.
12 Verba diffinitionis feudi in genere quomodo exponantur per Andr.
13 Quæ pacto per Andr.
14 Feudi vltra prædictas aliæ referuntur diffinitiones, nempè Bald. Belluſ. m. Ram. & ſequacium.
15 Iaſ. duobus modis credebat immutare diffinitionem feudi allatam per Bald. & Belluſ. ſed miſerè labitur: nam D. Author ab illius aduerſariis contradictionibus eam rectè vindicat, & nu. 16. cum ſeqq.
16 Feuda ſecundum Iaſ. poſſunt dari abſque homagij præſtatione, ſed grauiter decipitur, vt nu. 18.
17 Homagium ſecundum eundem Iaſ. fuit incognitum conſuetudinibus feudalibus; at verior eſt opinio in contrarium, in quam etiam frequentiſſimè itum eſt, vt n. 21. cum ſeqq.
19 Inueſtitura nunquam erit facienda fidelitatem facere recuſanti.
20 Feudum impropriè dicitur, vbicunque fidelitatis iuramentum remittitur.
21 Homagium quid importet, cui propriè fiat, & vnde dicatur homagium ligium, & quomodo diſtinguatur à non ligio, & nu. 25. & 26.
23 Feudum ligium inter alia hoc habet ſpeciale, vt in eo interuenire non debeant Pares Curiæ, qui alias interuenire deberent, vbicunque de proprietate inter Dominum, & vaſſallum controuerſia exiſteret.
24 Princeps non recognoſcens ſuperiorem poteſt in propria cauſa iudicare.
27 Contractus omnes, prout etiam feudalis, habent ſua ſubſtantialia, naturalia, & accidentalia: quæ inter ſe quomodo maximè diſtinguuntur, & nu. 30. & quæ ſint iſta in feudo, ſubiicitur nu. 31. & 49.
29 Feudatario delinquente Dominus ex lege contractus reuocat feudum, quod ob lineam ſuitam vindicat ex contractu reſoluto.
32 Feudum cur beneficium dicatur.
33 Feudum pecunia comparatum an dicatur propriè feudum. In qua difficultate affirmat Iſer. communiter receptam enim opinio eſt optimè feudi datio [illegible] ad textum cap. 1. de feud. dat. in vic. leg. commiſ. qui contrarium ſuadere videtur, & nu. ſeqq.
34 Domino concedente feudi retentio quamſique pretium ſibi ſoluatur.
35 Beneficium, & ſi non ſit gratuitum, adhuc tamen beneficium eſt.
36 Feudum & ſi in aliquibus expreſſis non retineat propriam ſuam naturam, nihilominus in cæteris omnibus remanet propriè feudum, & nu. 38. 41. & 100.
37 Feuda ex conſuetudine accipiunt ipſorum certam naturam in origine generationis ipſorum.
39 Clauſula illa feudi natura in aliquo non mutata in priuilegio adiecta intelligitur præterquam in expreſſis.
40 Clauſula illius, verbis aliena, & noſtris ſemper ſaluis, vim atque effectum remiſſum.
42 Feudum conceſſum ſub annuo cenſu adhuc remanet feudum. Hinc tenendum eſt à Bald. in l. liberti, libertæq; C. de oper. lib. vel erit ſanè intelligendus de feudo proprio, & ſecundum eius propriam naturam, & nu. ſeq.
43 Inueſtituræ adhærendum eſt, etiā ſi feudi natura refragatur.
44 Feuda non poſſunt conſtitui, niſi in rebus immobilibus, vel æquipollentibus.
45 Hinc rectè ſubſiſtunt ſub annuis redditibus: quia inter immobilia connumerantur.
46 Quo pacto, prout in mobilibus conſiſtere non poſſunt, ita pariter nec in pecunia recta Andr. affirmatiua opinione, idque vera ratione ſuadetur, & num. 48.
47 Text. in c. 1. ſi de feudo vaſſ. ab aliq. interpell. fuer. declaratur iuxtà communem intellectum.
49 Feudi directum dominium remanet penes concedentem, vtile